MELITA & OXYMELITA.

MEL ANTHOSATUM.

℞ Florum Rorismarini recentium libram unam.
Mellis despumati in Balneo libras tres.
Mixta in Ollâ, insolentur, & serventur ad usum.

MEL HELLEBORATUM.

℞ Radic. Hellebori albi siccarum & concisarum, libram unam.
Aquæ limpidissimæ libras quatuordecim.
Post infusionem triduanam, coque paulatim ad medias; factâque diligenti expressione, recoque in Melleam consistentiam, cum Mellis albissimi libris tribus.

MEL MERCURIALE.

℞ Succi Mercurialis libras tres.
Mellis libras duas.
Depurentur & coquantur ad Mellis consistentiam.

MEL ELATINES.

℞ Succi Elatines depurat.
Mellis clarific. ana libras quatuor. Coque ad debitam consistentiam.

MEL MORORUM, vel DIAMORΩN.

℞ Succi Mororum Arboris & Fruticis, ante maturitatem & Solis ortum collectorum & per subsidentiam depuratorum, ana sesquilibram.
Mellis colati, & despumati libras duas.
Incalescant in *B. M.* ad debitam consistentiam.

MEL ROSATUM.

Fit ex succi vel. infus. Rosarum rubrarum librâ unâ, Mellis libris duabus cum semisse.

MEL VIOLACEUM.

Paratur omnino, ut Mel Rosatum.

OXYMEL SIMPLEX.

℞ Mellis optimi libras duas,
Aceti Vini albi libram unam.
Coquantur leni foco ad Syrupi liquidioris consistentiam.

OXYMEL COMPOSITUM.

℞ Rad. Fœniculi,
Apii,
Petroſelini,
Ruſci,
Aſparagi, ana uncias duas.
Sem. Apii,
Petroſelini;
Fœniculi,
Aniſi, ana unciam unam.

Macerentur omnia (mundatis priùs & inciſis radicibus, contuſiſque ſeminibus) in aquæ claræ libris decem, Aceti Vini ſeſquilibrâ. Poſtridie coquantur leni calore ad tertiæ partis exhalationem. Colato reliquo & clarefacto admiſce Mellis libras tres, fiatque leni cocturâ, & deſpumatione aſſiduâ, Syrupus liquidior, ſ. a.

OXYMEL SCILLITICUM.

℞ Mell. deſpumati libras tres. Aceti ſcillitici libras duas. Coquantur ſ. a.